





EXERCITATIO MEDICA  
DE  
PHTHISI

QVAM  
PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO  
MED. D. ANAT. ET CHIRURG. PROF.  
PUBL. ORDIN. NEC NON ARCHIATRO  
GUELPHICO, ET ACADEMIÆ JULIÆ  
HODIE VICERECTORE  
MAGNIFICO

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ET HOSPITE  
SVO ÆTATEM VENERANDO

*Publicæ disquisitioni subicit*

HENRICUS CHRISTOPHORUS ERYTHROPILUS  
Hannoveranus  
A. & R.

Ad diem xxiv. Martij  
IN MAGNO IVLEO.



*Helmstadt,*

Typis Henrici Davidis Mülleri, Acad. Typ.

Anno MDCC LXXV.

1675, 10

13

8



EXERCITATIO MEDICA

P H T H I S I

Q U A M

P R A E S I D E

V I R O C E L E B E R I S S I M O

DN. HENRICO MEIBOMIO

MED. D. ANAT. ET CHIRURG. PROF.

PUBL. ORDIN. GEC-NON ARCHIATRO

GUELPHICO ET ACADEMIAE ILLIAE

HODIE VICE-RECTORI

MAGNIFICO

DN. PATRONO, RECTORI ET HOSPITI

SUO STATUM VENERANDO

Robtus de G... ..

HENRICUS CHRISTOPHORUS ERYTHROGOLUS

Haberstadius

A. M. D.

Ad diem xxiv Martij

IN MONO VLEO.

Helmstedt.

Typis Henrici Davidis Milleri, Acad. Typ.

Anno MDCCXXV





**V**m non minus grave, quàm frequens malum sit phthisis, considerationem quoque Medicam præ alijs morbis diligentem meretur: nec eam neglexerunt optimi quique & præstantissimi Practici, in quorum libris prolixa de Phthiſi ejusque curatione extant capita. Id tantum dolendum, maximam farraginem medicamentorum, contra hunc affectum, quâ simplicium, quâ compositorum, laudari, tempora vero, motum & morem morbi non ab omnibus rectè considerari, ideoque & promiscuè adhibita medicamenta valde inconvenienter sæpe dari, & cum damno potius ægri, quam commodo. Decrevi igitur, morbi hujus naturam omnem exponere, quomodo à principio ad finem usque se habeat, quibus symptomatibus inter initia sese prodatur, quomodo ad exitum, plerumque infelicem, decurrat: & tum medicamenta, quæ diutina experientia comprobavit, quo tem-  
A 2 pore

pore, quibus corporibus, & quomodo adhi-  
beri debeant, designare, omniaque observatio-  
nibus cum vivorum, tum mortuorum Docto-  
rum meorum, illustrare.

### THESIS I.



Signis à *Q̄νω*; corrumpo, extenuo, consu-  
mo, Latinis *Tabes*, Germanis die *Schwindsucht* / notat quidem in genere quamvis con-  
sumtionem corporis nostri à quacunque  
causa, & quidem non totius corporis tan-  
tum, sed etiam unius alicujus partis. At  
hanc alij *Atrophiam* vocant.

II. In specie vero Phthifici vocantur illi, quibus cum  
febre lentâ, tussi, respirationis difficultate, sputo cruento  
& purulento totum corpus consumitur & contabescit,  
quales quidem, cum nunquam non fere in pulmone ulcus  
habeant, ad pulmonis exulcerationem cum prædictis aut  
omnibus aut plerisque symptomatibus vox phthisis restri-  
cta est.

III. Et de hac quidem Phthisi seu tabe ego quoque  
nunc tantum acturus sum, quæ quidem inter initia, tam  
manifestis signis se non prodit, ut cognosci statim queat,  
unde non vulgus tantum emaciatos omnes phthificos pro-  
clamat, sed vulgares quoque Medici illos frequenter, qui  
ex ventriculo aut aliunde contabescunt, tanquam pulmo-  
nis ulcere affectos curant.

IV. At in illis, qui supra dicto modo se habuerunt,  
etiam post mortem semper deprehensa sunt ulcera in pul-  
mone, nunc plura, nunc pauciora, ceu ex Anatome phthisi  
defun-

defunctorum deinde narrabitur. Concedo tamen, posse in pulmone esse ulcera, deprehensa etiam illa post mortem in iis, qui nec tussiculâ, nec dyspnoeâ, nec extenuatione corporis laboraverant (quo pertinet observatio 72. Th. Kerchringij) fit enim illud, quando vel parvum est ulcus, vel pus ita in suâ propriâ circumscriptiōe & sæpe numero folliculo hæret, ut sanguini virus suum non communicet: nisi autem sanguinis massæ & cordi fiat communicatio, impossibile est, ut febris & totius corporis consumptio oriri possit.

V. Ut autem phthiseos historia integra sit, considerabimus ita accurate natales ejus, ut nec ipsa cunabula prætereamus, & latentes, nec nisi expertis Medicis per vestigabiles, ad eam dispositiones. Si enim in omnibus morbis præstat, eos prævenire ope Medicâ, quam permittere, ut in actum exeant, certè in gravissimis morbis, quorum dubiadeinde & rarissima curatio, quos inter phthisis primo loco poni meretur, id prudentibus faciendum est. Nisi autem rectè cognoveris illas dispositiones, & suis indiciis deprehenderis, curare non poteris. Ut tamen herbæ primo prodeuntes imperfectâ suâ figurâ & nondum explicatis foliolis frequenter fallunt etiam peritissimos Botanicos, qui in vigore suo constitutas ex flore, semine, fructu facillimè & promptissimè cognoscerent: ita morbi in ortu suo attentissimos requirunt Medicos, & incuriosorum oculos fugiunt, quamvis in progressu tot symptomatibus stipati, neminem temere, nec ipsum quidem vulgum, fugiant.

VI. Principio tamen monendum statim est, sæpe Phthisi occasionem dare externas causas, licet nulla ad fuerit dispositio. Vti enim alibi in corpore nostro vulnus in ulcus abit, ita in pulmone quoque; ideoque si contingat

vulnerari aliquem in pectore, vulnusque tale sit, quod non glutinari mox iterum possit, necesse est pus generetur & ulcus fiat. Vnde innumera exempla sunt eorum, militum præsertim, qui in bello vel gladiis acutis vel globulis pulmones trajecti in phthisin deinde inciderunt.

VII. Neque tamen semper tam magnâ solutione continui ad ulcus in pulmone producendum opus est, sed etiam, quando vasculum aliquod sanguineum in pulmone rumpitur, nisi maturè remedium adhibeatur, ulcus inde fieri potest. Vnde tot ægrorum historiæ passim extant, qui post hæmoptysin phthisici facti sunt, primo sanguinè deinde pus expuentes, tandemque contabescentes, quod & ab Hippocrate dudum *sect. 7. aph. 16. & 17.* observatum est. Quamvis autem quorundam corpora ad hæmoptysin prona sint & hoc etiam inter illas ad phthisin dispositiones omnino considerare oporteat, tamen notissimum etiam est, quod in perfecte sanis sæpe solum à nimio motu, vocis intentione, casu, ictu &c. hæmoptyses oriuntur.

VIII. Frequenter etiam in illis, qui alias ad phthisin non sunt dispositi, à variis, hoc in loco non memorandis causis, oriuntur Anginæ, Pleuritides, Peripneumonix, Empyemata, à quibus ad Phthisin transitum dari, notissimum itidem est practicis, & notatum dudum Hippocrati *sect. V. aph. 10. & 15.* Post variolas quoque & morbillos, frequenter phthisin oriri, quotidiana docet experientia, vel parvis illis ulcusculis erosionem pulmonis facientibus, vel in illo humorum motu copiosiori materiâ per modum abscessus ibi congregatâ.

IX. Quotiescunque igitur huiusmodi eveniunt, quæ memoravimus, ut in pulmone aliquis vulneratus fuerit, sanguinem ejecerit, aut abscessum aliquem pectoris passus fuerit, toties metuere phthisin debemus, & idcirco sanatis  
illis

illis malis, omnia quæ ad præcautionem phthisis faciunt, sollicitè adhibere. Quamvis enim non necessario ista subsequatur phthisis, tamen ut plurimum subsequitur, si præsertim æger suo vivendi more acceleret potius quam præcaveat phthisin & ætas aliaque accedant. Inter sanguinis sputa quidem etiam magna est differentia, cumque oriuntur per anastomofin ex abundantia sanguinis copiosioris, aut fervidioris, accedente causâ externâ, minus sunt pertimescenda, quam cum per erosionem ab acerrimâ materiâ comitante ferinâ tussi fiunt; interim tamen & priora illa aliquando ulcera & tandem phthisin inducunt. De abscessibus & empyematibus, nisi expurgentur, res certa est, & manet Hippocratico aph. 15. sect. 1. sua veritas, etiam si Job. Arculanus in IX. thesi p. 168. scribat se vidisse in duobus ulcus pleuriticum non mundificatum in quatuor annis, quod tamen non duxerit ad phthisin. Rarissima enim hæc sunt, & si cum omnibus circumstantiis relatæ fuissent historiæ, facile etiam judicari posset, cur in his duobus aliter evenerit, ac in plerisque soleat.

X. Verùm jam videamus porro, ubi tales externæ causæ, quæ phthisin inducere solent, desunt, quid nos in suspicionem phthisis possit inducere. Incipiemus autem ab ipso ortu. Per diutinam enim observationem constat dispositionem ad phthisin à parentibus in liberos vi seminis transferri. Quæcunque enim ad phthisis productionem faciunt, sive ipsius pulmonis nativa debilitas, sive sanguis acrior & peculiari modo infectus, constet sanè, tam solidorum quam fluidorum vitia à parentibus ad liberos posse derivari, unde jam tum Avicenna inter morbos hæreditarios phthisin retulit. Et doctissimus Fracastorius l. 2. de morb. contag. c. 9. in fine scribit, *interim esse, quasdam familias usque in quintam & sextam generationem a-*  
mnes

omnes eadem tabis conditione perire, & quosdam eadem aetate.  
Quo pertinet Francisci Fortiani exemplum, quem *Valle-  
riola* Monspelij novit, qui phthiſi. us ipſe ſex liberos phthi-  
ſicos habuit, qui omnes eodem n. ortis genere, quo pater  
deceſſerunt *l. 3. obſ. 6.* Sunt autem illa infelicis huius hæ-  
reditatis, ad invitos quoque tranſeuntis, exempla tam fre-  
quentia, ut ijs quoque, quæ mihi cognita ſunt, recenſendis  
ſuperſedeam. Interim, quando videmus liberos, quo-  
rum parentes phthiſici fuerunt, ſymptomatibus quibus-  
dam corripi, quæ ſuſpicionem incipientis tabis faciunt,  
tanto magis metuere illis debemus.

XI. Augentur vero metus & ſuſpicio, ſi ætas talis  
ſit, quæ tabi obnoxia. Nam & hoc jam, quod quotidiana  
docet experientia, præclare obſervatum eſt ab *Hippocrate*  
*l. 3. aph. 29. & 5. aph. 9.* alibique, ut & *Celſo lib. 3. c. 22.* adole-  
ſcentes & juvenes facilius phthiſi corripi, quàm infantes,  
pueros & ſenes.

XII. Ex corporis ipſius habitu nonnulli diſpoſitio-  
nem ad phthiſin dijudicare volunt; illos ſcilicet, quibus  
pectus depreſſum, ſcapulæ prominentes, inſtar alarum,  
(*πτερυγώδεις* vocat *Hippocr. l. 3. Epid. ſect. 3 §. 142.*) thoracis  
ſpatium anguſtum, corpus macilentum, larynx promi-  
nentior, hos ad phthiſin pronos eſſe. Verùm, cum cor-  
poris macies non niſi defectum aliquem in nutritione in-  
dicet, eaque à variis cauſis oriri poſſit, non ſtatim, reliquis  
abſentibus ſignis, à macie ad phthiſin concludere poſſu-  
mus. Ut plurimum quoque macies ulceri pulmonis, ac-  
cedente demùm hectica & colliquante febre, ſupervenit.  
Interim, ſi videamus illos, qui à parentibus ſuis habent  
*τὸ συγγενικὸν φθινώδες*, ut *Hippocr. loquitur. Epidem. III ſect.*  
*2. §. 27.*, macilentos eſſe, ſuſpicari merito poſſumus, ſan-  
guini illorum *μίασμα* aliquod impreſſum eſſe, quod etiam  
impediat, quo minus nutritio rectè fiat.

XIII.

XIII. Quibus hæmorrhagia narium citra externam aliquam causam valdè frequens est, illos non rarò in phthisin incidere, experientia docet, nam sanguinis acrimoniam & ejus *ρῶσιν* versus superiora indicant, quibus existentibus facilius damnum aliquod inferri pulmonibus solet. Observarunt etiam nonnulli, illos, qui iracundiores sunt, quique invidi, facile sanguini suo dispositionem ad phthisin inducere: certè nullos frequentiores phthisicos fieri, quàm qui cholericò temperamento sunt, experientia docet: & phthisicos veros tam ingratis moribus præditos esse, ad liram quæ levicula de causa concitari, satis experiuntur, qui illis quotidie adstant & ministrant.

XIV. Verum hæc tantum de dispositione ad phthisin conjecturæ sunt. Quod si vero tussis admodum urget, & rebellis est, eaque vel sicca, vel cum sanguinis & puris sputo, tum certius de imminente phthisi dicere aliquid licet. Sputa tamen non eodem modo semper se habent. Quamvis enim post sanguinis sputum frequenter oriri phthisin, jam tum supra dixerim, tamen, non omnes phthisici necessario sanguinem expuunt, sed tum solum, ubi ulcus in profundioribus partibus pulmonis, ubi vasa majora sunt, hæret. Decipiuntur igitur ægri Medicique, qui inde, quod sanguinem non expuerint, phthisin nondum adesse colligunt. Experientia enim docet, multos, vel in admodum exigua quantitate vel nihil omnino sanguinis expuere, sed solum humores flavos, purulentos, & dein contabescere, quod ex Galeno, Ioh. Fernelio & Ioh. Argentario *l. 2. observ. p. 280.* Ioh. Schenckius docet, & egregie explicat Hercules Saxonia Præf. Medic. l. 2. c. 2. p. 157. Uti autem frequentius post sanguinis sputum puris sputum sequitur,

B

tur,

tur, ita aliquando post puris sputum sanguinis sputum,  
& hoc putant esse signum ulceris corrosivi.

XV. Alias ut plurimum pus, quod exspuitur, uti inter  
initia sanguine mixtū est, ita deinde flavum & varij coloris  
apparet: aliquando, ut in senibus non infrequenter obser-  
vavi, album, leve, & æquale, optimum aliàs à chirurgis pro-  
nunciatum. Aliquando foetet admodum pus illud, quod  
rejjicitur, ut etiam halitus ægrorum adstantibus intolerabi-  
lis sit, cujus exemplum notabile habet *Valescus de Taranta*  
in *Philonio* l. 3. c. 11. Aliquando non statim, ubi exceri-  
nitur, sed prunis injectum foetet, quod *Hipp.* 5. aph. 11.  
annotavit. Discerni vero pus à pituita, quæ aliàs è tho-  
race educitur, cum alijs signis potest, tum injectione in  
aquam, subsidet enim in eâ, non simplici tantum, sed ma-  
rina quoque, aut artificialiter salsa, quod itidem notavit  
*Hippocr.* in *Coac.* prænot. 435.

XVI. Præter pus vero rejiciuntur etiam ex pulmo-  
ne, tubercula quædam, grandines, vesiculæ, calculi, ceu  
ex variis scriptoribus annotavit *Schenck.* l. 2. p. 248. 249.  
Et quoniam maximam pulmonis partem vasa constitu-  
unt, quâ lævia sanguinea, quâ aspera à trachea, non rarò  
per tussim expui cernimus, cartilagine asperæ arteriæ,  
annulos ejusdem, vasa sanguinea, ipsas substantiæ pul-  
monis partes. Non temerè alibi plura exempla hujus  
rei invenias, quàm apud *Cl. Tulpium* l. 2. obs. 12, 13, 14. ubi  
imprimis notabile est, duos insignes venarum ramos, ad-  
æquantes singulos expansæ manus magnitudinem, per  
tussim expulsos fuisse, separatos ab omni parenchymate,  
nullo tamen prævio pure: id quod tamen alicubi delituerit  
necesse est, cum alias vix pateat, quomodo citra putrilagi-  
nem & corrosionem separatio vasorum fieri potuerit.

XVII. Post sputa tussis considerata, quæ quidem  
raris-

rarissime abest, & non nisi, ubi parva sunt ulcera & suis folliculis contenta materia, ut jam tum supra dixi: imò in pulmonis vomicis, nullo sæpe alio signo eas manifestante, tussicula sicca adest. Variat autem admodum tussis. Inter initia sicca est & molestissima, dein cum sputis variis, ceu dixi, comitata, aliquando quidem minus infestat, liberè prodeunte materiâ, aliquando ad vitæ usque finem satis molesta comitatur.

XIIX. Ex qua concussione latera quidem dolent, caput quoque, in ipso tamen pectore rarò audias de dolore aliquo conquerentes phthificos, quod pulmonum caro parum sentiat, ceu *Galenus* advertit *l. 4. de loc. adfest. cap. 5. & 8.* Aliquando tamen dolor adest, ubi ad membranam pleuram pertingit ulcus: imò phthifici diuturnitate mali etiam extenuati sæpe pleuritide, hoc est pleuræ inflammatione corripuntur, quæ acutissimum semper dolorem comitem secum habet. *V. Dodonæum. observ. medicin. 22.*

XIX. Gravitas tamen in pectore & angustia adest & respirationis difficultas ut plurimum, non talis quidem, qualis in asthmate, sed tamen satis molesta, dum non multum se commovere audent, quin anhelitus deficiat.

XX. Febris vero phthisin semper comitatur, quamvis non eodem modo semper se habeat. Nam ut æternæ veritatis est effatum *Hippocr. 2. aph. 47.* quod dum pus fit, magis accedant febres, quam eodem confecto: itaque in pulmone, dum suppuratio fit, febris major est: & præterea, ubi multum purulentæ materiæ in pectore est, febris increfcit; ubi illa evacuata, minuitur. Particulæ illæ purulentæ sanguini per venam pulmonalem ad cor refluenti communicatæ præternaturalem in tota sanguinis

nis massa excitant effervescentiam & febrilem inducunt calorem: ceu ab aliis magnis & diuturnis ulceribus, non in visceribus tantum, sed externis quoque partibus existentibus similes febres oboriuntur. Quoniam autem non statim ista fit cordi communicatio, ideo nec statim omni pulmonis ulcere febris conjungitur, & citius frequentiusque illa in juvenibus virisque, quam in senibus oboritur. Est autem hectica, illa febris, quamvis nihil impediatur, quominus hecticae putrida aliqua febris jungatur, quæ vel hunc vel illum typum observet, id quod quotidiana experientia docet. Calor ille febrilis molestus magis est noctu & deprehendi imprimis in carpo, in volis manuum & pedum plantis potest.

XXI. Et huic febre debetur imprimis illa totius corporis extenuatio, & contabescencia, quam non temerè ulcere pulmonis supervenire videas, nisi postquam febris accessit. Et in quibusdam quidem phthisicis sensim fit illa extenuatio, in aliis subito admodum & intra paucos dies, ratione magnitudinis febris & accedente quadam quasi colliqutione, unde etiam tum diarrhoea adest. Nonnulli fientem tabem primò loco explorant, & dijudicant ex collapsu musculosæ carnis inter pollicem & indicem, licet autem illam successu temporis ubique satis advertere. In vultu non inter initia semper, deinde tamen vel imprimis marcor observabilis est, oriturque tum illa, quam Hippocr. 1. progn. 6. describit, facies, nares acuti, oculi cavi, tempora collapsa &c. Pedes tamen intumescunt tumore œdematoso, unde vulgo dicitur, & tabe & hydrope simul ægros perire: in genis quoque rubor deprehenditur, quamvis alias marceat facies.

XXII. Superveniunt adhuc alia symptomata confirmata & ad interitum spectanti phthisi, quæ à Medicis veteri-

veteribus recentibusque diligenter annotata sunt. *Hippocr.*  
*in aphorismis 11.13.14. sect. V.* diarrhææ meminit imprimis,  
& defluvi capillorum. Alibi unguium in curvationem  
addit. Tandem quoque supprimitur in phthificis sputum,  
notante eodem *Hippocr. 5. aph. 16.* & intereunt suffocati.

XXIII. Et ita quidem historiam phthicos, morum-  
que & morem tam gravis morbi vidimus, jam quædam  
adhuc de causis procatarteticis, quæ in sensus similiter in-  
currunt, addam. Quod post læsiones vasorum in pulmo-  
ne, post abscessus pleuræ, pulmonisque &c. oriatur phthi-  
sis, jam tum supra dictum est. Et similiter ostensum, quod  
hæreditario quoque à parentibus in liberos propagetur.  
Jam addendum illud, per contagium quoque ab uno ad  
alium phthisin posse transire, id quod nec *Aristot.* latuit,  
uti videre est *ex problem. X. sect. 7.* Eleganter hac de re do-  
ctissimus *Fracastorius* scribit *l. 2. de morb. contag. cap. 9. potest*  
*fieri, ut optime sanus existens ex consuetudine tamen & convi-*  
*ctu cum phthifico, aut ex fomite labem illam contraxerit: nam*  
*mirum profecto est, quanta tenacitate seruetur virus illud*  
*in fomite, ita ut vestes, quas phthifici gestavere, saepe visa sint*  
*post biennium adtulisse contagionem: quin imo tales etiamnum*  
*sunt & camera & lectuli & tabulara, ubi phthifici periere.*  
Quæ observatio ita placuit celeberrimo Medico & Philo-  
sopho *Ludovico Septatio*, ut ipsis *Fracastorij* verbis, non  
nominato licet auctore, non dubitaverit inserere doctis-  
simis suis in *Aristot. l. c. commentariis. p. 382.* sua illa recita-  
tione approbans. Quibus consentit *Alexander Massaria*  
& contagium phthisis mirabili & inexplicabili ratione ad  
parietes & trabes & ad universum cubiculum transire, *l. 2.*  
*Prax. c. 7.* scribit, monetque ut cum phthificis & eorum  
rebus cautè admodum non tantum tempore vitæ, sed et-  
iam post mortem agatur. Erunt igitur & sectiones cada-

verum phthysicorum periculosa, & malè consulunt suis infantibus, qui vetulis, plerumque phthysicis, alendos tradunt, qui & cibo præmanso & osculis suis inficere facillime tenera corpora possunt. Et ita quoque inter conjuges per amplexus & basia facile communicari infectionem notavit l. c. *Septalius. V. de infectione ex odore sputorum ex Montano & Montuo Schenck. p. 279.*

XXIV. Suppressæ alicubi evacuationes, ut in feminis imprimis menstruæ, regurgitantes tabem inducere solent, ceu exempla testantur à Scriptoribus Medicis consignata, & quotidiana experientia. *V. Observ. Schenckij. p. 279. Scholz. consil. 333.*

XXV. Frequentissimè autem catarrhi, salsi, acres & corrosivi phthysin inducunt. Non à capite solum depluere materiam catarrhorum, sed ex toto sanguine venire, & variis in locis pro dispositione emissariorum exire, puto jam evictum satis esse recentiorum quorundam clarissimorum virorum accuratis observationibus. Sive igitur in ipso pulmone ex vasis arteriosis in asperam arteriam excidat materia, sive ex faucibus in eam delabatur, quando corrosiva & acris est, tum in pulmonibus erosionem facit, & vel hæmoptyses primò, vel sine illis ulcera excitat & tabem inducit. Multa de materiæ illius mordacitate, salugine &c. præclarè notavit *Christophorus Benedictus* in Theatro tabidorum passim: neque enim uno & eodem modo se semper habet, & aliquando sensu gustus iudice determinare ægri, qualis sit, possunt.

XXVI. Aerem ad phthysis productionem non parum conferre, apud Medicos extra dubium est, nec longa probatione indiget. Neque nunc dicam, quomodo Aer, dum catharos movet, phthysin remotè inducat, sed id considerabo, quomodo Aer pro ratione locorum certis

eis modis se habens, in pulmones per asperam arteriam ductus, eos afficere possit, & tabem inducere. Videmus sanè lapidicidas frequentissimè fieri phthificos, dum inter lapidum cæsuras pulvisculos elevatos ore quotidie hauriunt: idem artificibus, qui circa metalla cædenda & purificanda versantur, contingere constat. Quemadmodum autem hic aer quibusdam vicinus à vaporibus & fumis inficitur, ita aliquorum locorum totus aer infectus est, ut dein in plurimos agat. De phthisi Angliæ Endemia plurimi extant libri ipsorum Medicorum Anglorum, qui tamen potissimum de Urbe Londinensi loquuntur, & quamvis hujus rei varias causas varij adducant, *Spigelius etiam l. 1. de corp. hum. fabr. c. 9. f. 19.* à nimia constrictione pectoris, quam in infantibus matres moliuntur, deducat, tamen plerique ad Aerem malis & pectori inimicis & erodentibus fumis repletum confugiunt. Luber adducere hac de re verba *Cl. Dn. Præsidis Exerc. pathol. 11. de morb. caus. §. 5. Quomodo ex accidenti vitium capiat alicujus loci aer, etiam vulgo notum est, & præbet nobis hujus rei illustre exemplum Londinum Angliæ metropolis. Quamvis enim aliàs situs urbis saluberrimus jure censeatur, ex accidenti tamen aer ibi redditur noxius, & pectoris quidem affectus potissimum, tabemque iis, qui diu hauriunt, si præsertim antea non assueti, inducit. Observatum autem, id fieri à fumo carbonum fossilium, quo focos suos instruunt, qui densissimum fumum exhalant, quo cum aère in pectus deducto, ea quæ memoravimus, vitia, oriuntur. Et constat certò, plures in illa urbe phthisi laborare & perire quam aliis morbis, cen & ex catalogis hebdoma datim ibi publicatis, quo quisque morbo obierit, patet, & pridem à præclaris illius urbis Medicis aliisq; curiosis viris annotatum est: imprimis à Iohanne Evelino in libello Anglicè scripto: titulo *Famisugy*, in quo cum pluribus exemplis*

emplis ostendisset à terro illo fumo catarrhos, ruffes, raucedines, tabes oriri, remedia aëri corrigendo prudenter proponit. Tra-  
ctat idem argumentum Kenelmus Digbeus d. de sympathet.  
pulv. & addit, Leodiensis urbis parem esse rationem, dum  
& lithanthracibus utuntur incolæ, & præ alijs phthifi sunt  
obnoxij.

XXVII. His jam præmissis, accersamus Anatomem,  
& quid ejus ope, aperto corpore phthificorum, sensus nos  
doceant, videamus. Equidem periculum contagij adesse  
videtur, ut supra innui, si quis phthificorum cadavera  
quoque tangat propius, magnum tamen sciendi desiderium,  
& iuvandi publicam utilitatem studium permovet Me-  
dicos, ut cum aliquo etiam sanitatis propriæ periculo,  
phthifi demortuorum cadavera secuerint. Et extant pu-  
blicè tot factæ illorum sectiones, quas omnes huc addu-  
cere non videtur operæ pretium, quid tamen ex illis disce-  
re liceat, paucis proponam.

XXIIX. Primò in illis, qui cum febre lenta, tussi,  
respirationis difficultate, sputo cruento & purulento e-  
marcidi facti perierunt, dissectis pulmo deprehensus est  
affectus: quod infinitis exemplis doceri posset, si necesse  
esset, aliquibus autem deinde, ubi distinctè de pulmonis  
corruptione agam, probabitur. Et sunt fortasse pauci,  
qui id negant. Retulit tamen mihi Cl. Dn. Præses, fuisse  
Lugduni Batavorum Medicum longè celeberrimum, qui  
phthisin non à pulmonum vitio, sed ventriculi deduce-  
ret, & quidem adeo præfractè, ut cum anno sexagesimo pri-  
mo hujus seculi ibi in Nosocomio vir quidam cum tussi di-  
uturna, intercisa respiratione, febre, & sputis fætidis con-  
tabuisset, non laborare illum à pulmone asserere auderet,  
& ad demortui sectionem provocaret: quâ tamen factâ,  
deprehensus est sinister pulmonis lobus supra & infra  
pure

pure scātēre, & non parva quoque puris cōpia suprā dia-  
phragma natāre visa est.

XXIX. Fortassis tamen in gibbo hepatis facta puris  
collectio insignis, citra ulcus in pulmone, possit hominem  
ad tabem mortemque cum puris & sanguinis sputo, tussi,  
difficili respiratione & febre deducere. Docet enim ex-  
perientia, quocunque etiam modo fiat, posse ab hepate  
materiam purulentam per pulmones duci, & tussi ejici.  
Secuit hic ante aliquot annos Cl. Dn. Præses juvenem,  
qui cum tussi, sanguinis sputo, & febre perierat, ab omni-  
bus verè phthisicus judicatus, in cujus dissecti corpore  
parva tubercula quidem in pulmone, materia intus reple-  
ta, deprehensa sunt, maxima tamen albicoctique puris co-  
pia in gibbo hepatis, ubi diaphragma tangit, ut sympto-  
mata illa potius ab hepatis, quam pulmonis vitio dedu-  
cenda esse suspicatus fuerit. Verum talia rarius contin-  
gunt, & tum ex circumstantijs facere judicium licet.

XXX. Plerumque in solo pulmone malum est &  
illud ad inducendam phthisin sufficiens. Id quod tamen ita  
intellectum velim, ut non excludam mediastinum, pleu-  
ram, diaphragma, asperam arteriam, quæ cum pulmone  
afficiuntur. Cum autem pulmo in duas partes mediante  
mediastino divisus sit, aliquando quidem utraque pars af-  
fecta est, aliquando una tantum; quo minus enim semper  
simul afficiantur, mediastinum impedit. Non possunt  
autem non gravius laborare, & respirationem difficilio-  
rem habere, quibus utraque pulmonis pars affecta est,  
quam quibus alterutra tantum.

XXXI. Sed iam videamus, quomodo afficiatur pul-  
mo, ut phthisis evadat. Communiter scribunt, exulcera-  
ri, id quod ut plurimum ita se habere, nemo negare pote-  
rit: an tamen aliquando non contingat contrarium, dis-  
quiren-

C

quiren-

quirendum erit. Doctissimus *Fracastorius* l. c. pulmonis vitium duplex facit, quandoque ex ulcere, quandoque non ex vero ulcere, nec vera sanie, sed magis in sanie[m] quandam conversis pituitis, quæ illuc descenderunt: & illam ultimam posse satis proprie phthisin appellari, quæ corruptis putrefactisque pituitis ita pulmonem afficiat, ut si non putridus, at flacidus tamen & putidus reddatur: quippe, inquit, factis dissectionibus quorundam vidimus interdum partem pulmonis sinceram & nullatenus vitiatam, partem nondum exactè putridam nondumq[ue] ulceratam, sed tamen flacidam mollemque atque in marcorem tendentem, quandoque & totum pulmonem talem vidimus: quæ ipsa iterum probat l. c. *Lud. Septalius*, ut & *M. A. Severinus de Abscess.* nov. obs. c. 36. §. 2. ubi *Fracastorium* primum omnium hanc phthisis rationem explicasse scribit. Ipse autem pulmones ita affici existimat, uti folium aliquod longo lentoris immaceratu flaccesit, & in *Marcelli Sacchetti* corpore se reperisse scribit pulmones sub mucidos fuscis quibusdam maculis affatim respersos. Quidam ulterius progrediuntur, & existimant sine ulla pulmonis exulceratione, sine sanguinis & puris sputo phthisin posse oriri, dum pulmones vel ab ipso ortu latente vitio, vel aliunde debiles flaccescunt & planè emarcescunt. V. *Hieron. Mercurialem.* t. II. consil. XLIII. Et eo inclinare quoque videtur *Fernelius* *Pathol.* l. v. c. 10.

XXXII. Verum hæc ita simpliciter admitti posse non videntur. Quod *Fracastorii* tamen observationem attinet, ipse satis se explicare videtur, dum subjicit: cum marcor ille in pulmonem serpit, phthisicum appellare merito hominem possimus: quum vero simpliciter corrumpuntur pituita circa pulmonem, nondum autem affectus ipse est, tum non vocari phthisicus homo debet, sed aut dyspnoicus aut tale quid. Ipse igitur pulmo à putrescente illa pituita afficitur, nec dubium

bium est, quin tandem puriformis materia acrimoniam  
aquirens veram faciat exulcerationem. Quod autem ta-  
bescentiam pulmonis attinet, non negamus, illam fieri  
posse, quomodo tamen propter eam toti corpori tabes  
possit induci, non videmus. Fortassis aliquando eadem  
caussa, quæ pulmonibus, toti quoque corpori marcorem  
inducit; sed is marasmi potius nomine, quam veræ phti-  
sis veniet.

XXXIII. Ut plurimum autem vera ulcera sunt,  
quæ tabem inducunt. Quemadmodum tamen in aliis par-  
tibus corporis ulcera non eodem modo se habent, ita nec  
hæc, quæ in pulmone sunt. Differunt enim non nume-  
ro tantum & magnitudine, dum in quibusdam plura,  
in aliis pauciora, in quibusdam unum ingens, in aliis plu-  
ra parva observantur, sed etiam situ, dum quædam in  
profundioribus & ad majora vasa sunt, quædam in extre-  
mis & quasi in ipsa superficie. *Petrus Pawius* observ. 22.  
in dissecta tabida præter magnum abscessum in sinistro  
pulmone in plus quam 30. locis exigua apostemata va-  
riisque in locis pulmonem schirrhosum deprehendit.  
*Hier. Cardanus* in filio Gadii tabido dissecto in pulmone  
nullum ulcus vidit, sed in ejus superficie tubercula quin-  
que saniosa, ap. *Schenck*. p. 288.

XXXIV. Quædam præterea ulcera pus coctum fun-  
dunt, alia ichores sanguinolentos; alia pus quidem,  
sed vel aquosum admodum, vel pituita mixtum. Quæ-  
dam cacœthea sunt, fatentia, serpentia. *Cardanus* apud  
eund. *Schenck*. p. 289. vidit pulmones sanguine nigerrimo  
liquido, cum exquisita sanie ac multa redundasse. Pitui-  
tæ tenuis seu aquæ immixtæ meminerunt plures, & ubi  
aqua abundat, hydropem thoracis nominant. Vide *Joh.*  
*Rhodium*. obs. 4. Cent. 1. Crassior pituita sæpe satis tena-  
citer

citer concrefcit, & calculofam penè duritiem induit, ut  
eft apud *Pawium*. obf. Anat. 9.

XXXV. Sæpe totus pulmo non nifi ulcus eft, ut  
quacunq; parte pungas, pus erumpat, ceu modo cita-  
tus *Pawius* habet obf. 35. aut vero totus cum fuis vafis in  
putrilaginem refolutus eft, ut cavitas pure repleta fit, quod  
*Panarolus* obf. 46. Pentec. 1. notavit, *Platerus* ap. *Schen-  
cbium* p. 280. fcribit, fe in omnibus, quotquot fecuit,  
phthificis, non tantum pulmones fuppuratos, fed peni-  
tus quoque in affecto latere abfumptos, & in pus liqui-  
dum fubviride cum fætido aliquando odore converfos de-  
prehendiffe. *Chriftoph. Benedictus* in Theatr. tabidor. Exerc.  
23. pag. 64. fe pulmonum lobos fruftulatim laceratos &  
quafi forice demorfos aperto cadavere vidiffe notat.

XXXVI. Meminerunt præterea alii Steatomatum  
& Atheromatum quoque in pulmone, ut *Realdus Colum-  
bus* l. 15. Anat. Scirrhi etiam valde frequentes funt: at  
quamvis hinc difficilis aliquando reddi respiratio poffit,  
non tamen febris, fputum purulentum, macies, quæ cun-  
cta phthifi propria effe dixi, ftatim oriuntur. *Jacotius* in  
Coac Hipp. comm. 1. lib. 4. fect. 2. in quodam pulmonico  
difsecto partem fuperiorem in Cancrum abiffie notat,  
adque juguli fuperiorem partem tractum fuiffe, ut fub  
alis latuerit, non tamen accuratè fatis, quæ vidit, de-  
fcribit, ut alius etiam, an verus cancer fuerit, judicare  
poffit.

XXXVII. Ex his igitur fatis conftat, in phthifi pul-  
monem effe affectum, & illum ea quidem folutione con-  
tinui laborare, quæ Ulceris nomine venit. Quomodo  
autem ulcus fe habeat, interdum quidem ex aliis etiam  
circumftantiis, quàm maximè tamen ex fputis licet di-  
judicare. Pofita autem hac phthifis cauffa, non adeo  
difficile

difficile est symptomatum, quæ phthificis eveniunt, rationem reddere. Nam tussis quidem oritur ab illa irritatione, quam in partibus pulmonum sensibilibus vel pus acre, vel salsæ acres acidæque destillationes faciunt.

XXXIIX. A materia vero purulenta sanguini quotidie à pulmonibus abeunti communicata in corde & tota sanguinis massa præternaturalis & febrilis æstus concitatur, imprimis, si pus acre & sædum sit. Nam aliquando ulcera in pulmone sunt, quæ pus coctum albumque fundunt, nullam autem habent febrem comitem, quod in senibus valde frequenter deprehenditur, uti contra in juvenibus ulcera pulmonis plerumque presso pede subsequitur febris. Neque statim, ubi ulcus in pulmone factum est, adest febris, sed ubi illud aliquamdiu manet, nec curatur: intenditur etiam febris illa, ubi pus libere non expurgatur ex pectore; remittit autem, ubi promptè educitur.

XXXIX. Et ab illa febre maximam partem meo iudicio dependet tabes illa totius corporis, quamvis non negem, sanguinem acriorem redditum minus aptum esse nutritioni, & hinc quoque atrophiam sequi, ceu videmus illos, qui ad phthisin dispositionem habent, citra ullam febrem macilentos esse. Ubi tamen febris illa invadit, major statim fit macies & tantum non sensibiliter concidit caro, ita ut intra paucos dies, quadam quasi facta colliquatione, totum contabescat corpus. Habet hic se res, ut cum aliis ulceribus in alia parte corporis, quæ, ubi magna sunt & sæda, aliquando etiam febris & tabes totius comitatur, non tamen inter initia statim; nec temere tabes illa accedit, nisi lenta febris simul adsit.

XL. Respiratio vel magis vel minus fit difficilis; prout magis vel minus est affectus pulmo, ut aërem admittere & emittere liberè nequeat. Et quoniam duplex quasi pulmo est, hinc fit, ut licet uno minus, altero tamen respiratio adhuc fieri possit. Aliquando tamen post mortem ita in utroque latere pulmones cum suis vasis visuntur corrupti, & in liquidum pus resoluti, ut non injuria mireris, quomodo cum tanta pulmonis corruptione superesse vita possit, & vel respiratio fieri, vel sanguinis ex dextro cordis ventriculo in sinistram per pulmones motus. Equidem, quod pulmone absumpto non cum impetu ex vasis cordis sanguis in pectus ruat & mortem inducat, contingere arbitror, quod vasa illa callo quodam quasi sint obducta, ceu post *Platerum* apud *Schenbium* p. 280. per dissectiones corporum phthysicorum observavit Cl. Dn. *Præses*, qui etiam existimat, motum sanguinis fieri in talibus ex dextro ventriculo in sinistram per foramen ovale, id quod aliàs ex iis, quæ dissecatis corporibus observavit, evincet. Cum autem & respiratio in illis & motus sanguinis non rectè se habeant, hinc fit, ut Phthysicis tam subitanæ mortes sæpe contingant. Dum in lectis jacent dum bibunt eduntque, dum loquuntur, & per plures adhuc dies superesse posse ab astantibus judicantur, mox tamen, vel in lecto aliquantum commoti, vel surgentes, uno impetu concidunt, respiratione & vita sublata, ut sæpe vobis aliquem in ore adhuc habuisse mortui deprehensi sint: quale quid in aliis ex alio morbo pereuntibus non observamus.

XLI. Verum, ne in his explicandis nimius sim, ad Prognostica signa hujus morbi accedo, quæ tamen non secus ac Diagnostica jam tum supra magna partem relata

lata sunt, ubi morem morbi & exitum ejus proposui.  
Tradita autem luculenter sunt illa ab Hippocrate, ex quo  
à nemine non Practicorum adducuntur, & explicantur,  
ceu nuperrimè quoque egregie factum à Viro longè ce-  
leberrimo *Francisc. de le Boe Sylvio* Pr. Medic. l. iv. tract. 4  
§. 84. & seqq. ideoque actum non agam.

XLII. Quamvis autem periculosum admodum malum  
sit phthisis, tamen non semper æque magnum periculum  
adest; & si ulcus non adeo magnum, nec diu duravit,  
febrisque parva est, diligenti cura Medici sanari potest,  
quod experientia docet & Medicorum descriptæ histo-  
riæ. In juvenibus ratione febris periculum majus est:  
in senibus occalescit facilius ulcus, & tum vivunt qui-  
dem, non tamen integrè sani sunt. Ratione causarum  
illaphthisis periculosior est, quæ ex humorum in corpo-  
re existentium, & ad pulmones delatorum, acrimonia  
ortum habet, quam quæ ex aliis ante memoratis causis.  
Hæreditaria quoque pulmonis & sanguinis ad phthisin  
dispositio difficulter eluibilis est.

XLIII. Quod jam curationem ipsam attinet, cum  
ab Exulceratione pulmonis tussis, febris, tabesque &  
reliqua dependeant, illius imprimis habenda cura est.  
Tabes quidem illa & consumptio corporis indicat re-  
parationem, sed illa durante febre fieri nequit. Fe-  
bris quoque suam desiderat curam, sed ab ulcere depen-  
det. Igitur Ulceri, tanquam fomiti & febris & tabis &  
reliquorum, remedia adhibenda. Non minus tamen  
videndum unde sit orta ulceratio ut simul pateat, an  
forte à suis causis illa adhuc dependeat ac foveatur. Quod  
quidem si est, frustra Medicus in curatione erit, nisi  
prius illas removerit.

XLIV. Jam igitur videamus causas illas ante à no-  
bis

bis productas & in quantum ulcus foveant, consideremus. Siquidem ab Empyemate post anginam, peripneumoniam, pleuritidem, phthisis orta est, illi morbi penitus auferendi sunt, & pus in thorace hærens evacuandum. Neque tamen hic illorum morborum curam tradam, utpote quæ alibi à Præcticis proponitur.

XLV. Si suppressus alicubi sanguis est, ut in fæminis menstrua, in viris hæmorrhoides, danda est opera, ut ille rectè iterum fluat, aliàs enim continuò materia parti adfectæ suppeditatur & ulceris curatio inhibetur. Docet sanè experientia, in metu tabis fluxum hæmorrhoidum salutarem esse, & morbum præcavere (vide Joh. Rhod. Cent. 2. obs. 9.) quanto igitur majus erit periculum, si suppressæ foveant morbum. In proritatione tamen menstrui & hæmorrhoidalis sanguinis opera danda est, ne talia adhibeantur medicamenta, quæ in corpore calorem concitent.

XLVI. Ubi à fluxione acri ad pulmones ortum ulcus ab ea fovetur, illius quàm maximè habenda est ratio, & talia medicamenta usurpanda, quæ acrimoniam humorum temperant, fluxionemque sistunt. Huc pertinent illa medicamenta, quæ à Præcticis continuo laudantur, & cum simplicia, tum composita sub variis formis exhibentur, terræ nempe pingues, Bolus Armen. Terra Lemnia, Corallia, Margaritæ, Gummi Tragacanthum, Arabicum, Radix Glycirrhizæ, pistacea, amygdalæ, semina papaveris & omnia papaveracea, pillulæ de cynoglossa, de styrace, Theriacarecens ex Galeno. Horum enim medicamentorum usu delinitur acrimonia, sistiturque præternaturalis humorum motus.

XLVII. Ubivero nimia copia humores illi acres in corpore

corpore sunt, non tantum temperare, sed educere quoque debemus. Illo igitur respectu purgantia locum habent, cum aliàs in phthisi ratione ulceris & heclicæ febris adjunctæ non videantur convenire. Qualia autem adhiberi debeant purgantia, non determinari nisi respectu humorum, reliquarumque circumstantiarum in hoc illove ægro potest.

XLIX. Si vero tenuis est acris ille humor, commodè quoque per sudorifera poterit educi, dummodo caveatur, ne per heclicam febrem ad sudores jam tum pronum corpus nimis ad eos incitetur. Conveniunt autem imprimis medicamenta sudorifera quæ simul temperant & sistunt humorum motum, ideoque ex supra memoratis usurpari possunt terræ pingues, corallia, oc. cancri. Radix Chinæ præstantissima in hoc casu est. Nonnulli etiam ad decocta lignorum Guajaci, Sassafras, juniperini accedunt, qualia aliàs in lue venerea adhibentur.

XLIX. Revelli vero humor à pectore cum successu potest. Laudant nonnulli in hanc rem frictions extremorum, pedum imprimis, & dolorificas ligaturas, nec non pedilavia. *Galenus* caustico primo è fimo columbino dein emplastro ex Thapsia in nobili Romana usus est, ut narrat 5. meth. med. c. 13. quem Practici hodie feliciter vesicatoriis ex cantharidibus & fermento imitantur. Plus vero præstant etiam cauteria. *Christophorus Benedictus* in Theatr. tabidor. c. 29. fonticulorum usum imprimis suadet ad falsi & acris humoris educationem, cujus etiam effluxum colligi posse ex dolore in transitu lancinantis existimat. *Fabricius Hildanus* c. 3. obs. 38. setacium imprimis laudat ob humorum revulsionem, additque notabile exemplum femine, quæ cum olim destillationibus ad pectus laborasset, tandem in sanguinis & puris sputum cum heclicæ febre & macie incidit, quæ setaceo nuchæ adhibito re-

D stituta

stituta est. Cujus exemplo Cl. Dn. Præses in tribus  
phthisicis non in feliciter poni setaceum fecit, eo even-  
tu, ut quamvis non in totum phthisis inveterata tolle-  
retur, præter tamen spem diutius superessent ægri, fluxio-  
ne remittente. Ad futuram Capitis fonticulus lauda-  
tur plurimum ab *Helideo de Paduanis* apud *Craton.* cons. 70.  
p. 215. quo multos actu phthisicos, se pristinae sanitati  
restituisse gloriatur.

L. Ubi sanguinis sputum adest, illud medicamen-  
tis sanguinem sistentibus, & vulgo notis, supprimendum  
quidem, danda tamen opera, ne pectus constringamus ni-  
mis, sed sanguinem coagulatum & dissolvamus & educa-  
mus. Ubi autem sanguinis illud sputum ab acrimonia il-  
lius, vasa erodentis, ortum est, ad temperandam illam  
imprimis respiciendum, quod medicamentis jam tum su-  
pra allatis fieri potest.

LI. Potest igitur & Venæsectio habere locum, non  
quidem ratione ulceris, phthisi jam confirmata, sed ra-  
tione primo sputi sanguinis, quod revulsionis causa in-  
stituta V. S. præsentaneè curat; dein acrimoniæ illius,  
quæ in sanguine est & erosionem fecit. Quod enim san-  
guis acris per V. Sectionem possit temperari & edulco-  
rari, experientia docet. Præclare de V. S. in phthisi disputat  
*Galenus* l. v. Meth. Med. c. 13. & 14. à quo discere licet,  
quod, ratione habita circumstantiarum & ægrorum,  
aliquando juvat secare venam, aliquando non. Impri-  
mis vero utilis est V. S. ubi sanguis vel menstruus vel  
hæmorrhoidalis suppressus sanguinis sputum causatur,  
phthisinque fovet. Vide in eam rem notabile exem-  
plum apud *Benivenium* de abdit. c. 44. & schol. *Dodonei*.

LII. Sed jam accedamus ad ipsius ulceris curatio-  
nem. Illud requirit primo abstergentia & mundifican-  
tia Medicamenta, dein exiccantia & consolidantia & ci-  
catri-

catridem inducentia. Abstergentia & mundificantia talia esse debent, quæ puris rejectionem & sputum facili- tent. Uti enim externa ulcera à pure suo mundamus opera manus, ita pulmonis ulcerati sordes tussi rejici debent & sursum efferri. Varia hîc commendantur, imprimis mel, & quæ cum eo & ex eo parantur. *Plinius* l. 28. c. 12. butyrum cum melle coquit. Aquamulsa & decoctiones melle rosato addito in frequenti usu sunt. Saccharum quoque similiter abstergit, ideoque syrups pectorales conveniunt, qui præterea ex decoctis & suc- cis herbarum, cum quibus facti sunt, vim suam habent. Inter abstergentes herbas imprimis laudantur Veronica, Scabiosa, Hysopus, Hedera terrestris, Marrubium, Ori- ganum, ex quibus & decoctiones proinde & syrups con- fiunt, & conservæ quoque. Aqua hordei quoque id facit, ideoque & illa exhiberi & in ea decoqui herbæ solent.

LIII. Cum illis abstergentibus continuandum quidem aliquamdiu est, semper tamen sollicitè caven- dum, ne nimis fortia abstergentia adbibita vasa aperien- do sanguinis sputum proritent. Miscentur igitur dein- de siccantia, & cum imminui sputi copia incipit, gluti- nantia & consolidantia, non intermissis tamen iis, quæ lenem detergendi vim habent.

LIV. Hoc nomine jam convenit Saccharum ro- satum seu conserva de rosis rubis, quæ, ubi recens, de- terget magis, ubi vetus, astringit magis, plurium tamen seculorum & infinitorum penè experientia comproba- tur. Quamvis non nesciam, quod nullum ab ea effe- ctum se vidisse scribat *Victor Trincavell.* de cur. hum. corp. adf. l. 6. c. 10. & nuper quoque *Fr. Sylvius* l. c. Cum tamen variæ possint esse causæ, cur laudatum aliàs medicamen- tum suum non sortiatur effectum, non statim propter

quædam exempla negare rem in totum debemus. Parva etiam quantitate assumpta hæc conserva, ut multū juvet, possibile non est; ideoq; continuò & magna copia usurpari volunt omnes, & *Valescus de Taranta* Philon. l. 3. c. 11. suo loquendi modo *sine misericordia* devorare eam jubet.

L V. Bolus Armenacum levi detergendi vi adstringendi & siccandi glutinandiq; facultatem habet, ideoque non uno nomine conveniens phthificis medicamentum est. Sulphur quoque, flores ejus naturales & artificiales, stillatitium, & ex eo parata varia medicamenta, sub forma pulverum, balsamorum, tincturarum, solutionum detergendi siccandiq; & mundificandi ergo adhibentur. Vide quæ in laudes balsami sulphuris anisati scribit *Cl. Sylvius* l. c. ubi etiam elixir proprietatis propter crocum & aloem commendat.

L VI. Lactis usus à veteribus non minus, quàm recentibus, ad phthisin curandam commendatur. Facit autem id, partim ulcus abstergendo, & isto nomine laudatur magis asininum & caprillum; partim consolidando temperandoq; humores acres, quod bubulum optime agit. Serum lactis abstergit valde, quod laudat *Benedictus* Theatr. tabid. c. 26. & damnat lac ipsum, invita sanè experientia. Concedo quidem quibusdam phthificis fortassis lac non fuisse auxilio, sed inde nihil concludi potest in universum. Debet enim in illa cura per lac ratio totius corporis primo haberi, deinde ita exhiberi, ut non ace scat & coaguletur in ventriculo. Ideoque, dum lac adsumitur, omnia acida, & quæ vim coagulandi habent, vinum quoque, sollicite caveri debent, & mel aut saccharum, impediendæ coagulationis ergo, addi. Sæpe nimis parva copia aut non satis diu bibitur, ideoque optatum effectum non percipit inde æger *Tralianus* l. 7. c. 1. in fin. & *Rhasis* l. 9. contin. c. 2. exempla habent

bent illorum, qui per integrum annum lacte, loco vini, cum pane similaceo usi à phthisi convaluerunt. Cl. Dn. Præses tamen non paucis medelam lacte attulit, qui illud per mensem tantum, sed diligenter & cum solo similaceo pane & butyro usurparunt. Vide plura de hac re apud *Septalium*, obs. & caut. Medic. l. 6. obs. 163. *Claudin.* in append. ad l. de ingr. ad infirm. sect. 8. *Racutum* hist. Princ. Medic. l. 2. hist. 34. & 35. qui etiam Prax. histor. l. 8. c. 10. obs. 1. prodigiosæ tabis exemplum habet, lacte & ejus balneo curatæ.

L VII. Ad consolidationem plurimum faciunt Decocta vulneraria, cum ex talibus præsertim componuntur, quæ simul detergent, ut veronica, fanicula, consolidida majore & minore, hederâ terrestri, plantagine, equiseti aristolochia rotunda &c. V. *Paracum* l. 18. c. 28.

L I X. Verum & alia à nonnullis in usum vocantur decocta ex lignis & radicibus exiccantibus & sudorem moventibus, qualia in lue venerea alias usurpantur. Dixi autem jam tum supra, in inductione serosæ acris materiæ, quæ erosionem in pulmone facit, locum habere posse; an autem in facta jam phthisi ad exiccationem ipsius ulceris, majus videtur dubium. Certe laudantur ab his, culpantur ab illis. Ego non possum ea planè rejicere, nec tamen in quibusvis, nec quævis decocta admittere. Utenim de postremo dicam primo loco, non eodem modo omnes illa conficiunt. Quidam chinæ decoctum tantum usurpant, aut parum addunt Guajaci. Alii Santalum lignum coquunt solum, quod minus calidum est: alii lentissimum sumunt. Alii denique ligni Guajaci, Sassafras, Sarsaparillæ aliquam quidem partem addunt, potissimum tamen ex aliis herbis, qua vulnerariis, qua pectoralibus construunt. In universum igitur de decoctis ex lignis nihil dicere licet. Deinde nec eodem modo se

phthifici omnes habent, nec in eodem gradu morbus est, nec in omnibus æquè exiccantia indicantur. Legi tamen merentur, qui decocta lignorum laudant, & multa experientia se probasse asserunt, uti sunt imprimis *Phil. Ingrassias* in doctissimo illo consilio pro Duce Terræ novæ. *Eracastorius* lib. citat. 3. c. 8. *Thomas Erastus* ap. *Cracon.* consil. 88. *Joh. Bapt. Sylvaticus* in consiliis, ubi simul videri possunt ea, quæ cum decocto illo usurparunt.

LIX. Cum nimirum viderent ingeniosissimi Viri, quantum in eorum, qui lue venerea laborant, ulcerosa dispositione corrigenda, ulceribusque exiccandis valeret illa decocta, ad ulcus quoque pulmonis sanandum adhibere cæperunt. Hinc nonnulli quoque ulterius progressi, cum observassent in venerea lue factis mercurialibus inunctionibus & excitata salivatione ulcera in partibus externis exiccata & consolidata fuisse, etiam citra ullum externorum medicamentorum usum, cæperunt de pulmonum ulceribus similia sibi promittere. Nescio tamen, an multi in usum traxerint. Mihi certe non occurrit, qui eius rei vel meminerit præter illum toties citatum ingeniosissimum *Eracastorium*, qui in phthisi tria extrema remedia proponit, & tertio quidem loco unguentum cum Mercurio vivo, quo brachia internata tota & dorsum inungi jubet: *seminaria*, inquit, *contageonis absumet & materiam corruptam per sputum multum educet, verum cave ne hectica febris adsit.* At illa rarius abest à confirmata phthisi. Videtur igitur minus tutum esse remedium, in illo tamen casu non aspernandum, si forte æger phthisi simul laboret & venerea lue.

LX. Præterea, cum in pulmonibus phthificorum ulcus hæreat, ad quod Aër continuo accedit, nonnulli vapores medicamentosos recta ad pulmones ducere tentarunt, ut cum aëre permisti sensim ulcus exiccarent. Jam  
tum

tum in hanc rem à veteribus medicamenta commendata legimus apud *Aerium* l. 16. c. 121. 122. l. 13. c. 89. & *Paullum Aeginetam* l. 7. c. 11. Ut plurimum ex Benroino, Ladano, Styrace, Mastiche, Rosis conficiunt illa suffumigia, aliquando ex succino solo. Multa autem huc pertinentia egregia habet *Christoph. Benedictus* in Theatr. tabidor. & instrumenta quoque ad suffumigationem apta depingit.

LXI. Uti autem Aër illis vaporibus per artem imbutus Ulceri medelam afferre potest; ita quoque aër naturaliter in certis locis peculiari modo se habens phthificos juvat. Non adducam jam exemplum furnariæ apud *Marthaum de Gradi*, quam inspirato sicco furni aëre 28. annis phthificam superfixisse testatur: notum enim satis est, quod & veteres & recentiores ad certa loca miserint phthificos curationis ergo. *Galenus* ad Tabias, montem continuis ignibus ardentem, inter Neapolim & Surrentum, amandabat, ceu pluribus ostendit l. 5. meth. med. c. 12. & l. 10. c. 11. ubi aër ob sulphuris vapores vim ignem deficcandi habebat, aliquam etiam propter stirpium calidarum & odoratarum ibi crescentium copiam. In aliis locis Medici aliorum quoque mittebant, ubi talibus ulcus corrigentibus vaporibus aërem repletum esse judicabant. In quam rem multa elegantia congeffit Vir longè doctissimus *Georgius Hieronymus Velschius* Obs. Medic. Epifagmat. xxix.

LXII. Aëris igitur, uti jam dixi, habenda ratio, cum, ut medicinalibus virtutibus instructus corrigat ulcus, tum, ne noceat, cum supra quoque inter causas phthisis de aëre egerim. Reliqua etiam diætarecè instituenda est, & valde calidus potus vitandus, uti vinum, nisi aquosum fit, & leniter astringat. Quàm enim noxium id phthificis fit, ostendit pluribus *VVolf. Haferus* Herc. Medic. l. 2. c. 2. usurpari autem illius loco Hydromel. Lituanicum potest, & sæpius decoctum hordei bibi cum pectoralibus herbis abster-

abstergentibus. Ex cerevisijs hordeata aliqua tenuis con-  
veniens est. Ex cibis non conveniunt, quæ sanguinis acri-  
moniam augent, sed quæ eundem edulcorant & lentore  
suo & visciditate infringunt: quo nomine carnes ani-  
malium juniorum in gelatinam resolutæ, pedes vitulorum,  
pulmonesque commendantur: gammari quoque, coch-  
leæ, ostrea, quorum crudorum esu fæmina ab immedica-  
bili tabe sanata est apud *Talpium* l. 2. observ. cap. 8.

LXIII. Affectus animi, ut mæror, ira valde nocent  
tabidis, nec minus Veneris frequens exercitium: quamvis  
ad omnia illa propter sanguinis acrimoniam valde proni  
sint. Motus corporis mediocres non nocent illis, vehe-  
mentes tamen cavendi, ne vas aliquod in pulmonibus  
iterum rumpatur. Alvus non obstructa esse debet, caven-  
dum tamen etiam, ne nimis laxa sit, cum inter lethalia  
signa alvi in phthificis profluvium numeretur, ideoque, si  
fluxus aliquis immineat, quantocyus illum remorari de-  
bemus quod commodissimè fit terris illis, quas supra lau-  
davimus, quæ astringendi vim habent, & aliis quoque no-  
minibus in phthisi conveniunt.

LXIV. Et ita quidem puto me in ordinem redegis-  
se illa medicamenta, quæ, tanquam experientia in phthisi  
probata, à Practicis laudantur, ut facile pateat, quo no-  
mine adhibenda sint, ut non more empiricorum citra ul-  
lam rationem & Methodum curemus.

LXV. Restaret jam, ut quomodo symptomatibus  
febri, maciei, & tussi succurri debeat, ostenderem, habent  
autem illa parum difficultatis, cum ad acrimoniam san-  
guinis temperandam, de qua jam tum egi, respici sem-  
per debeat. Et extant apud Practicos hanc in rem  
varia remedia, ad quæ remitto  
& finio.

SOLI DEO GLORIA.



**D**E Phithisi quæ scripta vides pulcher-  
rima, Lector,  
Vix Juvenis cerebro nata fuisse pu-  
tes.  
Sunt tamen. Ingenium huic & mens divini-  
or an-  
nos

supplet, & ad morbos incitat ire graves.  
Fallor? an illa lues, quæ plus juvenilia torquet  
Corpora, per Juvenis debuit arma mori.

*Auditori suo per plures annos industrio, ob  
ingenium excitatum & eruditionem  
carissimo l. m. q. scripsit*

HENRICUS MEIBOMIUS.

E

Nobilis

**N**obilis ingenii fructus protrudis  
amænos,  
Quos faustos porro gratulor ex  
animo.

Nobilissimo & Doctissimo Dn. Respondenti,  
amicorum integerrimo hæc pauca gra-  
tulabundus apponere debuit

PETRUS CHRISTOPH. HEMPELL  
Stadensis.

---

**N**il valet in minimis nostræ rationis acumen,  
Cæcutit ratio sensa stupor que tenet,  
Arte Machaoniâ, Tu ERYTHROPILE nobilis,  
ægram  
Exponis PHTHISIN dexteritate Tuâ  
Ut Pater Hippocrates, Vestræ inclytus Artis A-  
pollo  
Claret, & insigni nomine mactus ovat:

Sic

Sic Te, tanta Viri vestigia rite prementem,  
Laus quoque virtutis non temeranda manet,  
Hos tam laudandos merito Tibi gratulor ausus,  
Optans ex animo commoda mille ferant.

*Paucis hisce Nobilissimo Domino Auctori,  
Fautori & amico suo longe charissimo  
gratulari voluit, debuit*

BERNHARD FRIDERICH Wernner.




Sic Te tanta Viri vestigia me premittunt  
Lana quod ne virtus non temeranda manet  
Nos tam laudandos merito Tibi gratulor augur  
Optans ex animo commoda mille ferant

Pancis hinc Nobilissimo Domino Axtoris  
Favore & amico suo longeberrimo  
gratulari voluit debuit

BERNHARD FRIEDRICH  
BACH








ULB Halle  
002 100 274


3



*VD 19*







B.I.G.

Farbkarte #13

TIO MEDICA  
DE

1675, 10

2

HISI

13

A M

SIDE

ARISSIMO

O MEIBOMIO

CHIRURG, PROF.

C NON ARCHIATRO

ACADEMIÆ JULIÆ

CERECTORE

NIFICO

CEPTORE ET HOSPITE

M VENERANDO

*visitationi subicite*

OPHORUS ERYTHROPILUS

overanus

& R.

XXIV, Martij

NO IVLEO.



estadI,

dis Mülleri, Acad. Typ.

MDCC LXXV.